



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De Officio B. Mariæ in Sabbato. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

fiet Officium infra Octauam cum commem. Octauæ Dedic. Cathedralis, translato Festo altero in primam diem non impediam. Neque dixerim, esse communia priuilegia hisce duabus Dedicationibus, quæ Dedicationi propriæ Ecclesiæ data sunt, nisi nouo Decreto fiant communia; puta, si occurrant infra Octauam Epiphaniæ.

7 Officium Dedicationis est Duplex maius apud Durand. *lib. 7. cap. 1.* cum Octaua, *ibidem*: ubi & indicat Officium, quo nunc utimur, *cap. 48.* Psalmos notans resonantes portas, atria, & ædificia. Concordamus cum Breu. M. S. & edito 1550. quod est uicinius Concil. Trident. & Pio V. restituenti Breuiarium Romanum: neque Pius mutauit, nisi de more suo Lectiones primi Nocturni, ut essent de Scriptura, iuxta Regulam antiquam Romanam, ex Radulpho *Proposit. 11.* addiditque Lectiones varias pro tota Octaua, & Orationem propriam pro ipso die Dedicationis. Atque ex hac Octaua, quam non habent alia Sanctorum Communia, cum Lectionibus unicuique diei assignatis, colligitur eiusdem Festi excellentia & dignitas super alias Octauas Sanctorum, quæ celebrantur cum Lectionibus de Communi sumptis. De Antiphona & Psalmo, *Qui habitat*, in 3. Nocturno, uide quæ diximus *Sect. 5. c. 7. n. 12. pag. 75.* Contra regulam communem Breuarij, Responsorium breue ad Sextam non sumitur à secundo Versu Nocturnorum Matutini; quia hic Versus non potest diuidi in prima sui parte ut alij Versus, & ideo uicillius dicitur, *Locus iste*, &c. Habes alia de Dedicat. Eccles. in primo Tomo *pag. 293.*

De Officio B. Mariæ in Sabbato.

CAP. VI.

1 **S**abbatum dicatum esse B. Virgini constat, & docuimus Tomo primo *pag. 7.* meminitque huius ritus Microlog. *cap. 60.* & Urbanus II. contemporaneus Micrologo in Concilio Claramont anno 1096. Officium in Sabbato beatæ Virgini Decreto suo destinauit, Radulph. *Propos. 20.* Non est ergo uotiuum, ut aliqui scripserunt, sed præceptiuum, quod habet originem improprie à voto Ecclesiæ, si uotiuum contendas esse.

2 Ritus Officij est ad modum Festi Simplicis, quod optabat Radulph. *ibidem*: nec tamen apparet, quo ritu tunc temporis Officium fieret de beata Virgine hac die; sed neque reperitur Officium hoc in Sabbato in Breu. M. S. Et fortasse id causæ fuit; quia ante Pium V. tenebatur Clerus ad recitationem quotidianam Officij parui beatæ Mariæ, unâ cum Officio Domini: quam obligationem abrogauit Pius in Bulla ante Breuiarium posita.

3 Quare totum hoc Officium cum Lectionibus sanctorum Patrum singulo mense pro uarietate legendis, iussu Pij V. fuit compositum, & editum. Clemens VIII. illud recognouit, mutata tantum Lectione pro mense Aprilis, quæ erat sancti Epiphaniij, nunc uero S. Hieronymi.

4 Fit autem in omnibus Sabbatis non impeditis Officio quoad ritum digniori; quale est etiam Feriæ maioris, aut Dominicæ anticipatæ, quæ scilicet suum non habet locum, ut diximus *Sect. 3. c. 5. num. 9. pag. 25.* quam quidam nimis pij erga B. Virginem anticipare uellent in alia Feriâ, nimium amantes sui, ne Sabbati Officium recitent

tent feriale cum Nocturno, & Laudibus prolixioribus. Festum Simplex cedit huic Officio Simplici de beata Virgine ratione dignitatis eiusdem in pari ritu; & de Festo Simplici fit tantum commemoratio.

5 Et ideo ad modum Festi Simplicis Officium hoc incipit in Vesperis Ferie sextae; vel à Capitulo, si ille dies ferialis est; vel per commemorationem, si eo die Festum est nouem Lectionum. In Completorio Ferie sextae, quamuis sit de Festo nouem Lectionum, in fine tamen Hymni ius habet B. Virgo, vt dicatur,

Iesu, tibi sit gloria,

Qui natus es de Virgine;

nisi Festum sit Transfigurationis Domini, quod habet proprium finem omnibus Hymnis illius diei destinatum, & Festum est Domini.

6 Quod si Feria sexta fuerit Festum eiusdem beatae Virginis, in secundis Vesperis omittitur commemoratio Officij in Sabbato; quia non conuenit, vt de eadem fiant Vesperae & commemoratio. Casus accidere potest in Purificationis Festo, quod celebratur Feria 6. seu in die Octaua, quae fit alicubi, eiusdem Purificationis; praeterea nullus: & hac eadem de causa, inter Suffragia Sanctorum communia, nihil in hoc Officio dicitur pro Suffragio, seu commemoratione beatae Mariae, nec in primis Vesperis, nec in Laudibus. Ad Notam finis est huius Officij, sicuti Festorum Simplicium.

7 In Nocturno Sabbati omittitur Psalmus *Iubilare*, pro quo dicitur Psal-

mus è Laudibus Sabbati, *Bonum est*: tum, ne ille bis dicatur, in Matutino, & Laudibus, quae constituunt, vt supra diximus, vnā horam; tum, ne hic per Hebdomadam omittatur. & ideo fit commutatio.

8 Pro varietate temporum additae sunt aliae Antiphonae, cum Orationibus pro tempore, post Natiuitatem, vsque ad Purificationem, quae sumptae sunt ex Officio paruo B. Virginis, tum aliae ad *Magnificat* & *Benedictus*, pro tempore Paschali; quo & additur *Alleluia* Inuitatorio, Antiphonis, Responsorij, & Versibus.

9 Lectio assignata Martio eo anno tantum legitur, quo Pascha celebratur die 20. vel 21. & ultra, mensis Aprilis; vt videre est in Tabulis nostri Ordinis perpetui à Tabula 30. vsque ad 35.

10 Ea item lectio assignata mensi Decembri non legitur vnquam, nisi quando Dominica prima Aduentus incidit in diem 2. Decembris: reliquae saepius leguntur.

11 Queres, An superflua illa Parenthesis in Rubricis generalibus *ut. 8. num. 2.* vbi de hoc Officio: *In Semiduplicibus (quando eius Officium paruum non dicitur) fit eius consueta commemoratio per annum.* nam in Semiduplicibus non dicitur Officium paruum de beata Virgine. Sed explicata illud *quando*, id est, quo die. Vel indicat Parenthesis, alicubi dici Officium paruum de beata Virgine, etiam in Semiduplicibus, ob consuetudinem, de qua *Sect. sequenti cap. 1. num. 6.*